

initium, hunc ipsum locum: *Quis est fidelis seruus, &c.* de Petro exponit.

Quod autem oeconomicus summus sit supra familiam, & ab ea iudicari, ac puniri non possit, patet ex hoc eodem loco, Dominus enim ait: *Quem confidit Dominus super familiam suam.* Et ibidem: *Quod si dixeris seruus ille in corde suo, moram facit Dominus meus venire, & caperit percutere seruos, & ancillas, edere, & bibere, & inebriari, veniet Dominus seruus illius in die, qua non sperat, & dividet eum, partemque eius cum infidelibus ponet.* Vbi vides Dominum seruare sua iudicio feruum illum, & non committere iudicio familie. Idem etiam docet vsus omnium familiarium; nulla enim familia est in qua liceat inferioribus familis etiam simul congregatis punire, vel expellere oeconomicum, etiam si pessimus sit, id enim ad solum Dominum totius familiæ pertinet.

ALTERVM nomen Christi est PASTOR, Ioan. 10. *Ego sum paster bonus, &c.* Idem communicat Petro Ioan. vlt. *Pascere oves meas.* Constat autem pastorem ita praesesse ouibus, vt nullo modo ab eis iudicari possit.

TERTIVM est, CAPUT corporis Ecclesiæ, Ephes. 4. idem communicat Petro, vt habemus in Concilio Chalcedonensi, aet. 3. vbi legati sententiam pronunciant in Dioscorum, & in epistola Concilij ad Leonem. Porro caput à membris regi, & non ea potius regere, contra naturam est, sicut etiam est contra naturam, quod membra sibi caput præcident, cum forte grauitate agrotat.

QUARTVM est, VIR, seu sponsus, Ephes. 5. *Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiæ, & tradidit seipsum pro ea, &c.* Idem conuenit Petro, nam in Concilio generali Lugdunensi, vt habeatur cap. Vbi periculum, de electione, in Sexto, loquens Concilium de electione Romani Pontificis: *Acceleret, inquit, ut ille per necessaria rotus mundi prouisio, idoneo celeriter eidem Ecclesia sponso dato.* Est autem contra Apostolum Ephes. 5. & contra naturam ordinem, vt sponsa præsit sponso, & non potius sub sit.

Probatur SECUNDU ex verbis expressis Conciliorum, & Pontificum. cum enim controuerchia ista sit de potestate Conciliorum, & Pontificum, si inter se Concilia & Pontifices conueniunt, quid opus est, vt nos litigemus? PRIMVM ergo exstat Concilium Sinuissanum sub Marcellino, in cuius fine legimus: *Prima fides a nemine iudicabitur.* Paulò post exstitit Concilium Romanum sub Sylvestro, in cuius vlt. can. similiter legimus: *Nemo iudicabit primam fidem.*

PRÆTEREA ex Concilio Chalcedonensi colligitur Pontificem esse maiorem Concilio, nam aet. 3. recitantur multæ epistole scriptæ ex variis locis ad Concilium, qua omnes ita incipiunt: *Sanctissimo & beatissimo uniuersali Patriarche magna Roma Leoni, & sancto uniuersali Concilio congregato in*

A *Chalcedonensi ciuitate, &c.* Ne mo autem in toto Concilio fuit, qui reclamarit, ac dixerit, non debere anteponi Pontificem toti Concilio. Immo in fine illius actionis exstat epistola Concilij ad eundem Leonem, in qua eum, & caput, & patrem suum agnoscunt. Præterea in eadem actione damnatus est Dioscorus cum tota Synodo Ephesina II. tum ob alias cauñas, tum præcipue quia iudicare, & damnare ausus fuerat Romanum Pontificem Leonem. Ut enim Nicolaus I. ait in epistola ad Michaelem, non tam ob hæresim damnatus est Dioscorus, quā ob horrendam præsumptionem, qua in summum Pontificem sententiam dictare ausus fnerat. Vbi notandum, quod si Dioscorus, qui erat Patriarcha Alexandrinus, id est, primus post Romanum, cum generali Concilio non potuit iure iudicare Romanum Pontificem, certè sequitur evidenter, Concilium non esse supra Pontificem. Cur enim non potuit Pontificem iudicare, si erat supra ipsum, immo eius iudex, vt aduersarij volunt?

B ITEM Concilium Romanum V. sub Symmacho recepit, & approbabit tanquam sua decreta, librum Ennodij Diaconi, in quo sic legimus: *Aliorum hominum cassas Deus voluit per homines terminari: Sedū istius presulē suo fine questione referuauit arbitrio, voluit Petri Apostoli successores cælo tantum debere innocentiam.* In V III. Synodo generali aet. 7. legimus, Romanum Pontificem de omnium Ecclesiæ præsilibus iudicasse, de eo vero neminem unquam iudicasse; intellige, legitime, ita vt fuerit receptum ab Ecclesia eiusmodi iudicium. Scribunt Platina in vita Leonis III. & Paulus Æmilius lib. 3. historiæ Francorum, cùm Carolus Magnus Romanum venisset ad cognoscendam cauſam Leonis Pôtificis, cui multa crimina objecta fuerant, & simul conuenisset ingens Concilium Episcoporum, omnes Episcopos una vocce clamasse, non licere ulli hominum iudicare summum Pontificem, tum vero Carolum destituisse à munere illo iudicandi, & Leonem iuramentum scipsum purgasse.

D Præterea Concilium Lateranense sub Alexander III. vt habetur cap. Licet, extra de electione: *In Romana Ecclesia, inquit, aliiquid specialiter constituitur, quia non poterit ad superiorum haberi recursus.* Vbi Concilium docet, maiori cautela debere eligi Romanum Pontificem, quām alios Episcopos, quia si eligatur malus Episcopus, potest ille corrigi, & deponi per Romanum Pontificem; si autem eligatur malus Pontifex summus, non est remedium ullum, non enim habet superiorum, à quo deponi poscit. ITEM in Constantiensi Concilio edita est Bulla Martini V. ipso approbante Concilio, in qua iubentur suspecti de hæresi interrogari, an nō credant Romanum Pontificem habere in Ecclesia Dei supremam potestatem, at certe suprema est, qua nulla est maior, & cuinnulla æqualis.